Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 311
Quelle:
Copyright:

tantum, an vero autor etiam horum Commentariorum fuerit, pronuntiare non poſſum.

CCXIII.

U. 154 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 454. f. per duas columnas, non eadem manu, maximam tamen partem probe ſcriptus, minioque diſtinctus in *fol.* praevio haec verba habet: *Ex teſtamento magiſtri Nicolai de Kreytznach arcium theologie et Decretorum profeſſoris.* Geſſit vero Vir iſte inter annos 1468—81. ter ſupremum Academiae Magiſtratum, annoque 1491. defunctus eſt, unde ſequentis *Lecturae in Pauli Epiſtolas* Secundam *ad Corinth. ad Galat. ad Epheſ. ad Coloſſ.* duas *ad Theſſal. ad Titum* et *Philemonem* autor eſſe non poteſt. Dicitur enim mox in ingreſſu primae Lectionis: *Harum epiſtolarum duas expoſuit in hijs ſcolis Venerabilis ſacre theologie profeſſor Magiſter petrus de pulka felicis recordationis epiſtolam ſcilicet ad romanos et primam ad Corinth. Quare incipiendo ubi ipſe dimiſit, cogitaui ſecundam epiſtolam ad Corinth. aggredi.* &c. Si *Codicem Univ. 45.* in conſilium adhibeas, loquitur hic *Nicolaus de Dinkelſpühl, Petri* ſucceſſor, qui lecturam usque ad *Epiſtolam ad Epheſ.* perduxit, cathedramque dein ceſſit *Petro Reicher de Pirchenwart* pollicito, ſe et hanc, et ſequentes deinceps Epiſtolas expoſiturum. En igitur duorum Virorum labores, qui *Nicolaum Crucenacenſem*, de quo videri poteſt *Tritbemius* in *Catal. illuſtr. Viror. Germ. fol.* 55. aetate multum praeceſſere. Lecturam in *Secundam ad Cor.* orditur Conſpectus *Quaeſtionum* in ea tractatarum; ejus vero initium eſt: *Apoſtolus paulus 14 ſcripſit epiſtolas* &c. *Quaeſtiones* ad Lecturae calcem expediuntur. Idem ordo *ad Galat.* Sed deinceps nulli conſpectus, nullae poſt ſingulas Epiſtolas *Quaeſtiones, fol.* tamen 392. ad calcem Epiſtolae *ad Philem.* omnes congeſtae. Unde vel e diverſo hoc tractationis modo diverſi Autores, prior *Nic. de Dinkelſpühl*, alter *Petr. de Pirchenwart* agnoſcuntur.

Codicem poſtice veſtit Membrana integerrima data: *Wienne patauien. dioc. Anno domini 1461. Indict. 9. die vero 13. Aug. Pontificat. Pij Secundi Anno Tercio*, qua *Beſſarion Ep. Tuſculanus Cardinalis Nicenus vulgariter muncupatus in partibus Alamanie et Germanie locisque omnibus in eisdem Sacro Romano imperio ſubiectis Apoſtolice Sedis de latere legatus Heinricum Triburgker clericum Maguntinen. dioc. et perpetuum beneficiatum ad altare S. Martini in eccleſia S. Stephani alias omnium ſanctorum Opidi Wienn. Patauien. dioc.* ab irregularitate, *iniuncta* tamen *primitus penitencia ſalutari* abſolvit. Percuſſerat alienigena hic, ut ad nos confluere ſolent, *cauſa recreacionis et ſolacij vna cum alijs clientibus et ſocijs ſerotino tempore in opido Noueci-*